



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cl. Viri Valerii Andreæ Desselii In Academia Lovaniensi  
Professoris Regii Erotemata Juris Canonici**

**Andreas, Valerius**

**Coloniae, 1697**

XIV. De ætate & qualitate, ordine præficiendorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62934)

De ætate & qualitate, & ordine præficiendorum.

TIT. XIV.

Exponitur hoc Tit. quæ veniant in examen ordinandorum, nimirum ætas, qualitas, ordo, ut scil. Ecclesiis vel dignitatibus præficiendi sint ætatis legitimæ, & ut Ordines habeant pro ejus beneficii qualitate, ad quod adsumuntur.

*Cujus ætatis esse debet ordinandus?*

**I**N primis, Tonsura Clericalis ( quæ per antichresim improprie Ordo dicitur ) conferri nequit minori VII. annis, nisi ex devotione parentum Religionem ingrediatur. Ad alios minores Ordines aspirare etiam septenni permittitur, qui scilicet annos excesserit infantia. Nisi quodd. Concil. Trid. in super requirar, ut promovendi linguam Latinam calleant. Ad majores Ordines quod attinet, olim jure Pontificio ad Subdiaconatum anni XX. post XVIII. ad Diaconatum anni XXV. postea XX. ad Presbyteratum an. XXX. requiritur.

*c. ult. de temp ord in 6.*

*can quinque dist. 77. & can. de his a. st. 83. l. ff. 23. c. 11.*

C 2

Sess. 13. c.  
12.

52 De aetate & qualitate proficiendi.

siti fuere. Quod tempus presentis temporis conditionem perpendens Conc. Trid. nonnihil auxit, in Subdiacono requirens annum xxii, in Diacono xxiii, in Presbytero xxv. ætatis incipit.

*Quid si Episcopus aliquem ante iustam aetatem Ordinibus sacris initiaverit?*

c. 14. sup.  
de temp.  
ordin.

Tunc punitur & Episcopus, suspenditurque à collatione Ordinum, & ordinatus prohibetur ante legitimam aetatem in Ordine suscepto ministrare. Unde

Gl. ad  
Clē. ult.  
in 7. anno de a  
tat. &  
qualit.  
ord.  
Sess. 23. c.  
6.

consequens est, Episcopum non posse cum aliquo in aetate dispensare, sed hoc petendum esse à S. Pontifice.

*Ad obtinenda beneficia simplicia quæ aetas requiritur?*

Jure communi Pontificio potuerunt conferri septenni: at Conc. Trid. vetuit ante xiv. annum beneficium posse obtineri.

*Quæ ad obtinenda beneficia non simplicia?*

Ad obtinendum Episcopatum aetas requiritur xxx. annorum: ad Abbatum autem

autem & dignitates Episcopatu inferioribus debet quis attigisse annum ætatis xxv ut & ad obtinendam Ecclesiam parochialem. Verum ad obtinendas dignitates & Personatus, quibus cura animarum nulla subest, requiritur, ut quis non sit minor annis xxii. ex definitione Conc. Trid. licet jus Pont. annum xxv. requirere videatur.

*c. cum in cunctis 7 sup. de elect. Sess. 24 c. 12.*

*Quam in Abbatissa, Priorissa, & aliis Prefectis Monialium?*

In his requirit Concil. Trid. ut præficienda eligatur non minor annis xi. & ut octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit.

*Sess. 25. c. 7. de Regula.*

*Quibus Ordinibus insignitos esse oportet eos, qui dignitatibus præficiendi?*

In Episcopum nemo eligendus, nisi qui sit Subdiaconus; nemo in Abbatem, Præpositum, Decanum, nisi Sacerdos, vel saltem idoneus, qui intra breve tempus Sacerdos fiat. Ad Ecclesiam denique Parochialem nemo adsumi potest, nisi Subdiaconus, & modò sit idoneus, ut brevi creetur Sacerdos.

*c. 9. h. 1. c. 1 & 5. eod. c. 7. § inferiora sup. de elect. d. c. 1. hoc t.*

